



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 85. Legati a Papa minus benigne excepti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](#)

duni possidebant, bona eripi præcepit. Sæcul. XV.  
A.C. 1494,  
Ceterum Oratores Galli Florentia exce-  
dentes Ferrariam contendunt, quos Her-  
cules Estensis hujus Ducatus Princeps  
haud vulgari honorum significatione ex-  
cepit, omnibus eorum postulatis ultro  
annuens. Haud segnius Joannes Ben-  
tivolius Bonnoniæ Præfectus quamcun-  
que opem Gallis spoondit, suosque qua-  
tuor filios Francorum stipendia mereri  
jussit. Auxilium etiam obtulit Senen-  
sium Respublica, ea tamen lege, ut non  
ante Gallici exercitus adventum initi  
foederis consilia prodere tenerentur, ve-  
riti, ne a Florentinis supprimerentur,  
quod & eorum votis datum est.

### §. LXXXV.

*Legati a Papa minus benigne  
excepti.*

Ultimo res maximi momenti Gallis vi-  
fa est, ut Pontificem, licet parum  
firmæ fidei esset, ad sua studia certo per-  
traherent. Hanc ob rem Albinius Pa-  
pam, quem nuper cum Alfonso foedus  
sanxisse ignorabat, importunius urget,  
ut adimpleret ea, quæ tunc pollicitus  
esset, dum Ludovicum Ducem, ut Gal-  
liarum Regem ad superandas alpes in-  
duceret, stimulayerat. Ast Pontifex  
Ora-

Sæcul. XV.  
A.C. 1494.

Oratorum dicta inficiabatur, nec tamen eis omnem illa, quæ postulaverant, impetrandi spem ademit, dixisse contentus, Apostolicæ Sedis jura in Neapolis regnum certa esse, proin sperare se, Carolum primogenitum Ecclesiæ filium ea haud læsurum, se autem Alfonso investituram concedendo nonnisi Prædecessorum suorum exemplum fuisse secutum, a quibus ejusdem Pater, avusque in eo jure confirmationem accepissent; igitur haud amplius in suo arbitrio possum, ut ea, quæ una manu concessisset, altera denuo auferret, donec invite demonstraretur, quod triplex hæc inauguratio omnino nulla fuerit; ad hoc etiam facram Sedem fuisse compulsam, eo quod Florentinis Alfonso adhærentibus, Ecclesiæ patrimonium tam hujus quam illorum incursis expositum patet. Verbo, ajebat se communis Patris nomine, ac debito esse obstrictum, ut ad neutrius partis studia inclinaret, sicque pacem utriusque procurare sibi semper reliquum esset. Hoc Pontificis responso Oratores parum contenti, indignationem suam haud dissimularunt, sed misso in Franciam nuncio Legonis seriem exposuerunt, ut ibidem, quid agendum, decerneretur.

§. LXXXVI.